



Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

In Passionem D.N. Iesv Christi Homeliae quinquaginta sex, Theoremata
viginti octo, totidemque sermones. In Monotesseron Praeterea Eivsdem
Passionis Dominicae, iuxta Euangelistarum & historiae fidem, Elucidatio.
Conciones ad Haec Paraeneticae in praecipuis anni & Sanctorum
festiuitatibus habitae

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXVIII

Siti sua quænam Christus suos mysticè docuerit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47113)

Sitis Christi
spiritualis
qua.

sto, quam innuit hoc verbo, alia quoque sitis, aliudq; desiderium, amor videlicet salutis nostrae. Sitiebat nostram salutem, & ideo sitiebat quoque in nobis puritatem, charitatem, innocentiam & virtutem. Sitis Christi erat, vt nos sitiremus bona spiritualia, caducis contemptis. Sitis eius erat, vt nos sitiremus fontem viuum caelestis gratiae. Hæc sitis vehementer illum torquebat. Heu bone Iesu tu de siti clamas, de cruce files: coronam spineam sustines, & omnium vulnerum tuorum obliuisceris, & sitim solam conquereris. Quantum cruciat te bone Iesu nostrae salutis desiderium. Iudæi & gentiles tuum sitiunt sanguinem, te occidendo: tu eorum sitis salutem, pro eis moriendo. Quid ergo aliud dicis, cum dicis. Sitio, quam si diceres, Plus me animarum vestrarum tenet salus, quam corporis mei cruciatus? Magis opto salutem vestram, quam meam, sanitatem. Infirmus sum, sed propter vos: crucifixus sum, sed propter vos: toto sum corpore vulneratus, sed propter vos: sitio, sed propter vos: nec solum propter vos, sed sitio etiam, hoc est, desiderio crucior, amore æstuo, vt obtineam vos. Misereamini vestri, misereamini etiam mei, vt in hac parte sitim meam temperetis atque dolorem, hoc autem fiet, si vocem meam audieritis, neque obduraueritis corda vestra. Tollite igitur iugum meum super vos. & discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Viuite innocenter, & frum meam refocillabit.

Sitim Christi
quomodo
refocillare
debeamus.
Psalm. 49.
Matth. 11.

Siti sua quanam Christus suos mysticè docuerit.

Gulae tenta-
tiones quo-
modo vin-
cenda.
Thren 3.

Quotiescunq; te gula tentat, quotiescunq; abstinentia videtur onerosa, quandocunq; ieiunium grauat, aut si quando cibus videtur conditus recordare (quomodo scriptum est) ab sinthij & fellis, recole quomodo redemptor, tui causa sitiens, aceto & felle sit potatus. Certè si quis hanc Christi escam potumq; meditatatus fuerit, parū de cibo delicatiori cogitabit. Quomodo enim nō meritō est erubescendum, vt Domino ac rege nostro esuriente ac sitiente, nec aliud præter sal acetumq; gustante, nos communes cibos fastidiamus, delicatiora suspiremus? Num æquum est, ipso esuriente, nos inebriari: ipso plorante nos ridere? Heu quam manifeste probat nos vita nostra, non esse regis huius milites, qui in cruce pro nobis esuriens sitiensq; pendit. Hi enim soli eius sunt milites, qui carnem suam crucifigunt cum concupiscentijs suis. De horum abstinentia, paupertate, afflictioneq;, multa in libris legimus, ab operibus autem nostris omnia longè absunt. Iterum discamus hic sitire salutem animarum, Dei gloriam ac beneplacitum, iustitiam quoque, & pro his nulli parcere labori. Tertio, si Christus animarum nostrarum sitit ad eam salutem, quomodo nos eandem debemus parui pendere? Optime autem fecerimus, si bene sancteq; vixerimus. Tunc enim tanquam nectar preciosissimum Christo offerimus sitienti ad bibendum. Admonemur etiam gustus oblectamenta non quærere, sed vbicunq; possumus, euitare, & paucis esse contenti, vilibusq; gaudere escis, & vt appetitum nostrum excitet fames, non sapor.

Milites Christi
qui soli
sint.
Galat. 5.
Sitis spiri-
tualis cui-
bet necessa-
ria qua.
Nectar præ-
ciosiss. quis
Christo siti-
enti offerat.
Gustus oble-
ctamenta ef-
se euitanda.

IESVS CONSUMMATA OMNIA TESTATUR.

Articulus LI.

Ioan. 19.

CUM ergo accepisset acetum Iesus, dixit: Consummatum est.

HOMI.